



**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXXII. De Conversione Conjugatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

ad iteratam receptionem, immo emendatum, etiam non potenter suscipi, tenetur Religio recipere, ut notant DD. cum Barb. ex c. fin. b. t. Membrum 4. ex Trid. d. s. 25. c. 19. de Regular. Quamvis autem post quinquennium pro foro externo non amplius audiatur valorem suae Professionis impugnans coram Superiore suo, & Ordinario (ad hos enim conjunctivè pertinet cognoscere) in foro tamen interno, sicut nullitas suae Professionis certa sit, ea tamen probare nequeat, non tenetur clam (quod tamen facere posset, & laudabiliter ficeret) ratificare per novum consensum suam Professionem, sed posset (secluso scandalo) discedere. Ceterum nullitas Professionis non sanatur ab ignaro nullitatis, licet singulis annis eam renovaret etiam sublatō impedimento, nisi expressè apud se statuisset, se Professionem, casu quo invalida fuisset prior, hic & nunc validam & novam emittere velle.

## TITULUS XXXII.

### De Conversione Conjugatorum.

#### SUMMARIUM.

1. *Quid veniat per conjugatos, & eorum conversionem.*
2. *Quid Juris, si existentes in Matrimonio Rato:*
3. *Vel in Consummato, ingredi velint Religionem.*

**C**Onjugati sunt in dupli classe; aliqui sunt in Matrimonio Rato, quod quidem legitimè est contractum, nondum tamen secutâ

cutâ copulâ carnali : alii in *Consummato*, scilicet per subsecutam copulam carnalem perfectam, p[ro]se aptam ad generationem prolis. Per *Conversionem* intelligitur hic ingressus in Religionem, in Ordinem Religiosum.


**Dico 1.** Existentes in Matrimonio Rato, quamdiu illud non consummaverint per copulam, et quam propterea per duos integros menses à contractu Matrimoniali non obligantur etiam ex parte altera parte, possunt ambo, vel unus, etiam altera parte invita, liberè ingredi Religionem.  
**2.** Et postquam secuta fuerit Professio, Matrimonium penitus dissolvitur, ita ut remanens in seculo aliud licet ac validè contrahat. Communis & certa quoad utramque partem propter cleros textus in c. 2. 7. 14. h. t. *Extrav. antiqua fo XXII. de Voto*. ubi Matrimonio Rato annexa legitur haec conditio, nisi Religionem ingrediar: quæ tamen conditio non est annexa susceptioni Ordinis Sacri: quare Matrimonium Ratum non dissolvitur per susceptionem Sacri Ordinis etiam Presbyteralis. *Extrav. cit.* Quamvis autem iusmodi conjuges per biunestre non teneantur consummare Matrimonium, si velint ingredi Religionem, vel de ingressu deliberent, eo tamen elapso, si una pars instet, & debitum conjugale seu copulam petat, urget obligatio vel statim ingrediendi, vel Matrimonium consummandi.

**3.** **Dico 2.** Existentes in Matrimonio Consummato nec licet ingrediuntur, nec validè Professionem emittunt, nisi sponte consentiat altera pars.  
**2.** Vel altera pars commisisset adulterium.  
**3.** Aut lapsa fuisset in hæresim, & propterea per sen-

ten.

## De Conversione Conjugatorum. 159

tentiam Judicis permisum divertium. 4. Eadem procedunt de susceptione Ordinis sacri, cum hoc solo discrimine, quod Ordo sacer sine licentia uxoris validè suscipiatur, non tamen licet, ut adè maritus teneatur quidem uxori petenti debitum conjugale reddere, ipse vero propter votum solenne castitatis illud licet non petat. Pars I. constat ex c. 8. 12. 17. 20. h.t. Interim talis sine licentia conjugis ingrediens, et si invalidè emittat Professionem, & sic in vim voti solennis non teneatur ad castitatem, obligatur tamen ad hanc in vim voti simplicis, quia in tantum se obligare potuit, & se obligasse præsumitur. c. 3. & 12. eod. Quamvis autem sola licentia conjugis sufficiat ad validam Professionem, non tamen sufficit ad licitam, sed insuper requiritur, ut & altera pars ingrediatur Religionem, aut, si jam sit senex, sterilis, aut aliàs non suspecta de incontinentia, saltem votum perpetuæ castitatis emittat in sæculo. c. 4. 13. 18. eod. Pars 2. ex c. 15. 16. eod. Pars 3. ex c. fin. eod. & c. 6. de divort. Pars 4. tum ex citt. Jurib. præfertim Extrav. antiquæ. tum ex paritate rationis; quia maritus sine licentia, vel adulterio carnali aut spirituali uxoris, suscipiens Ordinem Sacrum ei facit injuriam assumendo statum conjugio non convenientem. Quod autem Ordo susceptus valeat, eruitur inde, quod non existet Jus illum irritans.



TITU-

